



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XVIII. De servis non ordinandis, & eorum manumissione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quæ eorū Patres Presbyteri, & Clerici, ac Religiosi, in titulum, vel commendam, aut administrationem, ad tempus, vel in perpetuum, aliquando obtinuerunt, ullo unquam tempore, quoquo modo, obtinere possint, absque spe dispensationis impetrandæ à sede Apostolica: in Tridentino verò *sess. 25. c. 15. de refor.* statuitur, quòd non licet filijs Clericorum, qui non ex legitimo matrimonio nati sunt, in Ecclesijs, ubi eorum patres beneficium Ecclesiasticum aliquod habent, aut habuerunt, quocumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesijs quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, aliàsve obtinuerunt, habere &c. ut paternæ scilicet incontinentiæ *memoria*,

prout loquitur Tridenti: ab Ecclesijs, vel locis Deo consecratis, quæ maximè puritas sanctitâsque decet, *longissimè arceatur.* Quæ constitutiones uti non sunt extendendæ ad filios legitimos Clericorum ante Clericatum ex legitimo matrimonio genitos; nec ad patrem respectu filij; nec ad Nepotes Clericorum, cum tantum de filijs illegitimis loquatur, & consequenter veluti odiosæ ultra verborum proprietatem extendendæ non sint, ita impediunt etiam, quo minus tales filij, quamvis per rescriptum subsequens Principis legitimitati essent, in Ecclesijs, ubi patres eorum beneficia obtinent vel obtinuerunt, ministrare ex officio pro accepto stipendio possint, cooperatorem, v. g. agendo, cantoris aut factitæ officia agendo.

## TITVLVS XVIII.

### DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

**S**ervi seu mancipia, propriè dicta ad ordines etiam minores promoveri non possunt, nisi à dominis suis fuerint manumissi vel libertate donati *c. 1. h. t.* ob dignitatem scilicet clericalem, cui videtur servilis conditio derogare, ita ut si sciens domino suo, & non contradicente, in Clericum ordinatus fuit, eo ipso liber sit, *can. si servus 20. dist. 24.* quia res sive persona, quæ ex juris saltem interpretatione Deo consecrata est, non debet amplius humanis mancipari servitijs, juxta *regulam 51. in 6.* si verò *Compend. Pirhing.*

domino ignorante ad minores tantum ordines promotus sit servus, manet servus, & Dominus eum vindicare potest, prout sumitur, *exc. 2. h. t.* ad sacros vero ordines si promotus fuerit, domino ignorante aut invito & contradicente servus, servus quidem liber efficitur, Episcopus tamen, qui sciens eum servum ordine sacro insignivit, aut si nescivit, servum eum esse, quem ordinat, qui de ejus libertate testimonium perhibent, vel scientes eum servum, Episcopo pro ordinibus conferendis præsentant, aut *R sup-*

supplicanti, duos servos, æque bonos, vel duplum pretium dare debent Domino, ad damnum resarciendum, & in pœnam commissi voti, *c. si servum 19. h. 1. & gloss. in c. 2. v. deponatur.* Si verò à nullo horum culpa admissa fuit, servus tamen, invito Domino, in sacris ordinatus sit, vel similiter servum pro se Domino dare debet, vel ex proprio peculio se redimere, vel si neutrum præstare possit, Domino intra annum à tempore scientiæ habitæ repetenti, restituendus est, ita ut usu ordinum, & privilegio saltem fori, privatus sit juxta *can. ex antiquis dist. 54.* ubi plura videri possunt. Ex qua *dist. can. 5. & fin.* etiam habetur, quòd liberti & libertini non possint ordinari, ob defectum plenæ libertatis, nisi à Patronis suis fuerint plenè manumissi, sine retentione obsequii temporalis, patronis talibus, in gratiam manumissionis, aut probatâ ingratitudine præstandi. Et ex *can. 1. admittuntur eadem dist.* habetur, quòd neque servi ori-

ginarii, aut adscripticii, quos vulgò Leibe-  
 engette in Germania nostra vocamus, qui  
 Dominis suis non tantùm ratione posses-  
 sionum, & bonorum suorum, sed etiã  
 personaliter ad culturam agrorum v. g.  
 & alia obsequia obligati sunt, ordinari  
 possint, sine licentiâ Dominorum, aut  
 obtentâ manumissione per solutum illis  
 pretium; & quamvis in quacunque ma-  
 numissione Dominus manumittens ob-  
 sequia spiritualia sibi reservare possit, à  
 manumisso ordinato in posterum Domi-  
 no præstanda, sub pœna depositionis *c.*  
*nullus 4. h. 1.* & ab Ecclesia manumitti  
 possint Ecclesiæ servi, cum ea reserva-  
 tione, ut post mortem eorum, quidquid  
 acquisiverunt, ad Ecclesiam pertineat, à  
 qua libertatem consecuti sunt, & ut huic  
 Ecclesiæ perpetuò in rebus spiritualibus  
 juxta ordinis sui conditionem serviant,  
 plura tamen adhuc in *c. de familiis 3. h.*  
*1.* statuuntur, quæ possunt, aut non pos-  
 sunt tales ab Ecclesia manumissi, etiam si  
 nulla de eis expressa mentio facta sit.

## T I T U L U S XIX.

### DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON?

**Q**ui obligati sunt ad rationes reddendas, ratione publicatum administrationum, vel officiorum sæcularium, aut ob negotiationes sæculares minùs expediti sunt, ad serviendum Deo in officiis spiritualibus, ratione militiæ v. g. feudorum, sæculare & personale obsequium requirentium, eo quòd fisci vecti-

galia, agros colendos, aut alias negotia-  
 tiones Clericis prohibitas conduxerint,  
 &c. ordinari non debent, priusquam ab  
 his sæcularibus suis obligationibus, om-  
 nino liberi & expediti sunt, ut ne sus-  
 spicio sit ad declinandum tantùm forum  
 sæculare susceptos ordines, in præjudi-  
 cium creditorum, aut multæ lites talibus  
 Clericis